

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

mobl. 2) - 15)

EL 236

(3) = HF

74




ALBERTI CLAM- PII, V. CL.

Pro remissione peccatorum

PRECES,

Jam tertium edita.



*Generoso
ab Alues
et*

*dn. Ludolphi
Leben, dn. m. Calbe
Justar etc*

Jw. v. 1700

HELM AESTADII,

In Academia Iulia, ex officina Iacobi,

Iacobi F. Lucij,

cl. b. CIX.



Albert Clampus

MEMORIAE
ALBERTI CLAMPI,
IVRECONSULTI,
ORATORIS,
POLITICI,

QUI CUM
RATA FIDE
GRATAQUE OPERA
IN CONSILIO INEVNDO

PRAETURA HENRICOP. OBEVNDA
APVD SERENISS. PRINCIPEM GRA-
riam inuenisset,

Ab immort. rer. omn. condit. &
Conseruatore

IMMORTALI GRATIA POTITVS,
EX HAC MISERA CADVCAQUE
IN BEATAM AETERNAMQUE VITAM
transiit.

ANNI clō Is CIV. die XXVI. Decemb.

Cum vixisset An. XLIX. M. i. D. XVI.

In Academia Iulio, ex officina Jacobi
Jacobi F. Lucij
clō Is CIV.



Amplissimo & Prudentissimo Viro,
DN. IOANNI CLAMPPIO,
Reip. Bremensis Consuli, S. D.

IOAN. CASELIVS.

VMante menses aliquot familiares mihi retulissent, sacras & admodum religiosas preces CL. V. ALBERTI CLAMPPII, fratris tui germani, & in patria & in longinquioribus locis desiderari atq; flagitari, tertiam earum editionem cogitabam, & statim pollicebar. Cum enim ab annis plus minus triginta amicitiam sincerè coluissimus; (fuit enim ille, & mihi ab adolescente ob ingenium, litteras, probitatem & morum elegantiam carissimus, & mei ex mea erga se benevolentia, & aliquibus beneficijs obseruantissimus) ipse adultior iam, & adeptus bonam variè bonæq; doctrinæ copiam, misit mihi legenda & censenda, quæ quog; tempore sedulo meditata conscriberet, egoq; ad ipsum remittere solebam mea: cuius iudicium in hoc genere non sine causa magnificandum statuerè. Vt enim, primum quidè reges, sed secundo loco, vos bonis fortunæ præ vulgo auctiores, certatis inter vos muneribus, si quid rarum & preciosum inueneritis: sic nos litterarū cultores, si quid vel aliunde nacti simus, vel ipsi scripserimus, pulcrum atq; sapiens, quodue tale nobis esse videatur, non minus liberaliter, quam beneficè, alter cum altero communicamus: neq; in hisce & vobis n̄ à vobis diligentia, neq; sumptui parcimus: imò nature ductum sequimur vniuersi. Namq; & humiliores, quiq; vitam rusticam colunt, vuas, poma, nuces, inter se donant, quæue alia anni quodq; tempus ostendit. Frater autem tuus etsi, ut in aula, totos

A 2

dies

dies erat occupatus, quæ est negotiosa illius vitæ perpetua ratio, tamen & respiciebat aliquando ad monumenta sapientum, & ipse scribebat, siue epistolam eruditam, siue epigramma argutum. Cum enim esset vir doctus. (grandiores enim titulos in populo vsurpamus, de quolibet, qui vel alia profiteatur, vel degustauerit paucillum litterarum) tum purius & luculentius, siue prosam, siue numeris ligatam orationem, in his regionibus pangebatur nemo; neq; hoc in cuiusquam inuidiam dixerim, qui malo mediocri cuiq; addere potius aliquid, quàm detrabere. Non digrediar autem in ALBERTI CLAMPPI alias laudes, ne pro epistola orationem meditatam videar: neq; tamen non de ipso plura referam noua & uberiora, qua ipsius filium ALBERTVM CLAMPIVM, adolescentem singularis spei, qui à patris obitu apud nos in litteris viuit, ad imitandum patrem, excitabo: quod ego & CORNELIVS MARTINVS quotidie coram facimus, etsi ille, peringeniosus & modestus, vltro in officio est. Ille autem non solum occupatior, sed & aliquando perturbatior, ad descriptiones eiusmodi se referebat: quod scio, qui mirarentur: credo, ut hoc pacto, mente in res meliores defixa, molestiarum aliquid ex animo siue eijceret, siue reponeret. Ipse mirabar minus, ab annis quàm pluribus eandem consuetudinem secutus: ita tamen, ut scriptatum, ex interuallo sub incudem reuocarem: eundem verò etiam morem hac ætate seruare me, testantur mihi domestici. Ceterum, quo anno in his terris viuere desiit, cum ad me preces suas misisset, ita fuimus affecti, quotquot eas legeremus, ut typographo exprimendas darem: quod meum officium ipsi gratum, sed passim multis eruditis viris gratissimum accidit: qui eas & amicis impertirent, & filijs aut adolescentulis ediscendas darent. Itaq; ab ipsius obitu easdem denno monitus edicti: neq; à quiquam lectæ vel antiè, vel deinceps fuerunt, quin simul probatæ. Namq; apparet statim, tum quam pure ipse sint, siue sermonem, siue piam sententiam spectes: tum ex quo, quamq; animo Seruatori deuoto profecto: quod tum quoq; mea epistola libenter testatus fui, quam & apud vos lectam, non dubito.

Scie-

Sciebam enim, illum virum longissimè abesse ab omni simulatione,
& odisse ὑποκρίτας: qui de alijs cum contumelia sapè iudicium fe-
runt, & tales eos esse autumant: cuiusmodi semet intimè nouerunt.
Libenter autem leges, & has ad te litteras: quibus quæ antè scripsi
item confirmo lubens: quod meum erga ALBERTVM, rebus hu-
manis exemptum, & erga te, studium, & tibi, & amicis vestra fa-
milia, gratum esse velim: neq; aliter fieri posse, quin sit gratissimum,
arbitror. Vale.

Et quidem has ad te litteras superiore autumno perscripse-
ram: editionem retardauit in hunc diem aliud ex alio: hoc potissi-
mum, quòd prela typographica maiore & necessario opere occupa-
rentur. Interea te sublatum omnium suffragijs in primum dignita-
tis in ciuitate gradum, accepimus. Quod qui primus istinc mihi lit-
teris gratulabundus nunciabat, hoc addebat, ciues sibi de consulatu
tuo singularia polliceri. Esse enim te virum & honoratum, & lauta
in re, siue potius beneficum, quod primum est ciuium tuorum de te
testimonium: sed multò grauius, & maximè ad laudem tuam perti-
net: senatrem esse integerrimum, ἠγὲ ἀδέκαστον, quem neq; gratia,
neq; spes cuiusquam rei ab officio boni viri dimoueat: exploratum
deniq; de singulari tua prudentia, qui cum in litteris adolescens e-
ducatus fuisses, animo ad rem familiarem adiecto, ab illo tempore
nobilem mercaturam feceris, & aliquot iam annis bono consilio pa-
triae presto fueris: neminem dubitare non solum futurum in hoc de-
inceps, sed & facturum maiore cum auctoritate omnia, quæ sint ex
bono, cum vestra ciuitatis, tum etiam publico Germania. Quæ namq;
rectè in ciuitatibus decernuntur, ea bona quoq; in omnem viciniam,
& communem patriam redundant: uti si in illo aberretur, contra-
rium euentum subsequi, utinam absq; magno nostro malo experiri,
neccesse non habuerimus. Quarum autem rerum cognitionem ha-
beas, quantam non multi tui ordinis, earum cum paucis etiam sapi-
entioribus moderationē adeptus, vos etiam ceteros in saniolem sen-
tentiam bonis rationibus facile pertrahetis: & quod in vobis est,

*nequaquam patiemini statui, quod commercia, aut aliquam partem
turbet tranquillitatis publicæ. Hæc bona vobis ex animo precor: fa-
cultatem autem tuis ciuibus vniuersæ reipub. benè consulendi, quòd
nactus es, tibi & familiae Clampiorum gratulor. Iterum Vale, Hel-
mestadij ex ac. Iul. Kal. Mart. c. I. I. CIX.*

ALBERTI CLAMPII, V. CL^{mi}
PRECES pro remissione peccatorum.



Reator & seruator omnium rerum,
Cæli soli q; præpotens gubernator,
Cui prouidæ & solertis ordo naturæ
Soli obsecundat architecto & auctori:
Qui perditos propter nefanda mortales
Peccata morte filij redemisti,
Et liberatis spiritum tuum sanctum
Donasti, & ad sonum tubæ vltimâ luce
Bonos malosq; suscitabis à morte;
Damnationis aut salutis æternæ
Pœnamuè præmiumuè persoluturus.
Tua ante genua pronus ecce deuoluor,
Ac præter illud, quo mihi vsus est solo,
Et quod daturum tute te recepisti,
Cum maximâ fiducia nihil posco.
Delicta partim nesciens & ignarus,
Partim sciens volensq;, multa patraui,

Tuisq;

Tuisq; sanctis legibus refragatus,
Meapte culpâ à veritate descui,
Quid ergo si te iudicem voco iustum,
Si criminum acris & seuerus es vindex,
Si nemo clam te dicit & facit quicquam,
Quid me futurum est in nouissima luce
Coram tuo iustissimo tribunali?
Quis me suis suffragijs ibi absoluet?
Quis collocabit in choro beatorum?
An vlla iustum cura tanget iniusti?
An legis æquæ lator, eius osorem
A consecratione legis immunem
Pronuntiabit? ô quid est, quod expectem,
Nisi iræ & indignationis affectum
In me tuum? si facta legis ad lancem
Libramq; pendes nostra; pronus ac præceps
In infimam detrudar ocys terræ
Voraginem, istic criminum graues pœnas,
Procul remotus à tuo sacro vultu,
Vllâ sine intermissione laturus.
Sed ô pater benigne, mitis & clemens,
Qui limen almæ gratiæ tuæ semper
Tenes apertum, nec precantium voces,
Et lacrymoso lumina vda singultu

Spernis, nec aures obstruis, nec os claudis:
Memento pœnitentis optimum portum.
Mutationem consilii probè dici:
Memento, quod sanctissimo tuo verbo
Iuraris (an periurij reus fiat
Qui veritas est ipsa?) nolle te quenquam
Mortalium perire; sed frui vitâ,
Si pœnitens modò in viam reuertatur.
Ego omnia illa abominanda peccata,
Quæ perpetraui, sponte legis oblitus,
(Ah singulorum ob multitudinem immensam
Vtcunq; coner, non queo recordari)
Commisa tristi conqueror miser corde,
Vnoq; veræ pœnitentiæ fasce
Constriata propter vnici tui nati
Pedes repono lassus, & precor supplex,
Vt in lacertos ille & hæc suos tollat,
Qui sustulit peccata totius mundi,
Et in profundo Nerei vado mergat.

Pater benigne: te voco, pater mitis,
Qui tres pares in gloriâ coæquali
Inque vnicâ diuinitate personas,
Incognito nobis modo, repræsentas;
Si non fuit tibi molestum & ingratum

Nati

Nati vnici per vulnera & cicatrices
Saluare mundum, perditosq; mortales
Cœlo reponere; ah velis & hoc saltem,
Vt vnus in tot millibus redemptorum
Ego: vnus, inquam, humillimus tuus seruus
Peccator, infidelis; attamen seruus,
Herum relinquens, & diu vagabundus,
In patriam reducar, vnde profugi,
Et cœtui rursus aggreger beatorum,
Quando hora furuæ mortis appropinquabit.

Alia eiusdem argumenti preces.



*Qui gubernas sidera, qui mari,
Et terra, & humano generi imperas:
Qui ius neci vitæq; dicis,
Et regis infima cum supremis,
Cur non ad aras confugio sacras,
Ambabus vlnis excipiens tui
Oblata nobis dona verbi?
Cur veniam moror impetrare?
Nemo ausus vnquam est tam vetitum nefas
Quin pœnitenti facta remisit:
Tu blandus errantes reducis
In stabulum quasi pastor agnos.*

Oppressus

Oppressus ergo tristitiâ & metu
Quocunq; tandem: nil habeo bonæ
Mentis, nihil solati in artis
Repperio miser neq; rebus.

Ni me labantem tu facili manu
Ducas per umbram noctis inhospitæ,
Et lumen almæ veritatis
Præstuleris mihi te sequenti.

L E C T O R I.

S CUM ALBERTVS CLAMPIVS, vir magnus, & inter clarissimos, qui hoc seculo ita nominantur, verè meritoq; suo clarus, anno adhinc, bona ipse adhuc firmaq; valetudine, hosce sacros οὐδ' ἄγορας, non tam è scrinijs Musarum, quàm ex intimis præcordijs depromptos, perscripsisset; missos ad familiares in academiam Iuliam censura nostræ, ut est doctorum virorum consuetudo inter se, subiecit. Quid miris? Non eramus, nec epigramma, nec epistolam, nec οὐδ' ἄγοιον venire à Clampio: quin succi veteris, pigmentorumq; absq; fuco, haberet plurimum, & ad unguem esset plerumq; perfectum. Longè autem hoc carmen expectationem nostram vicit. Non tantum enim ita compositum est, ut propterea magnam admirationem prædicationemq; nostram mereatur: sed sunt prorsus piæ sanctæq; meditationes, & quod maximum est, in homine venerate numen absq; simulatione, vereq; Christiano, id potissimum præ se ferunt atq; representant. Itaq; nostra cura, & sumptu quamvis exiguo, (nam & hoc necessarium est in omnibus eius generis, quæ sexcentessimus non aestimat unius teruncij) typis publicatas, cum pluribus communicauimus, scriptoris nomine omissò, ne aut ille pietatis & sanctimonie opinionem aucupatus videretur, aut aliquid ab illo
profe-

profectum, repudiaretur antè, quàm cognosceretur, ut euenire solet
quibusq; scriptis, quæ à doctis hominibus proficiscuntur. Sunt enim
maximè exposita calumnijs malitia. Ne autem esset alioquin ad eam
rem occasio, ipse ante editionem, persona mihi ab animo moribusq;
meis alienissima sumpta, fastidiosè examinaui omnia, minutissima
quæq; etiam carpens: donec omnibus ad amussim vocatis, non calu-
mnam nihil tentaturam, sed omnino frustra hic futuram mihi pe-
nitus persuaderem. Tum à multis lectam fuisse hanc Ψαλμῶδη me-
ditationem, & passim placuisse accepimus: quæ neq; contemni neq;
improbari debuit, nec nisi ab indocto aut impio potuit. Iam Clampij
nomen præscribere non dubitavi, idq; feci, ut non solum de multi-
plici varia doctrina & facultate eximia scribendi, quibus præ pla-
risq; sui ordinis præditus fuit, sed etiam de eius in Deum pietate &
fiducia amicis magis, & iniquis existimatoribus rerum constaret,
etsi me non fugit reperiri, quibus satis nemo umquam fecerit. Sanè
nobis vita quoq; & animi integritatem ab adolescentia ad extre-
mum usq; probauit: quod cum asseuero, humana conditione, neque
ipsum, neq; me eximo. Decessit honoratus hic vir quinquagena-
rio minor, VI. Kal. Ian. anni exeuntis

cl^o l^o CIV.

Λωδννῶν Ἐγὼ


F I N I S.

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as ghosting.]


[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as ghosting.]

F I N I S









B.I.G.

Farbkarte #13



74



TI CLAM= V. CL.

sione peccatorum
RECES,
tertium edita.



*dn. Ludoloso
leben, dn° in Calbe
Zustaw etc*

MAE STADII,
ulia, ex officina Iacobi,
obi F. Lucij,
b b CIX.

